



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

47. [48.] Oculos effossos excor, reddit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

manusque atrollens, promissi gratias B. Xauerio egit, visum Patri Iacobo quod retuli narrauit; indicatoque mortis die, sacris rite mysteriis procurata feliciter obiit. Cœterum corporis sanitatem quam huic magno eius bono negauit S. Xauerius, alteri concessit, Indæ similiter, & ex longa ægrotatione animam agenti, vsu iam linguæ, ac sensuum amisso. Haud tamen segnibus parentes quos iactura illius vehementer angebat, assiduis precibus, ac votis, pergebant illam B. Patri commendare. Quibus tandem ab eo quod tantopere vrserant abstulerunt, sed modo prorsus mirabili; spectandum enim se variis locis, tum pia femina, tum eo in pago, vni ex Ecclesiæ ministris obtulit; turba, qualis inter nos dum viueret stipatus puerili, Christianam doctrinam discendum, & hinc minem præferens graui ali quo sollicitoque negotio impeditissimum; properare se ait ad restituendam ei feminae sanitatem. Quo temporis puncto velut expergisceret ægrota, voce, sensu, viribusque receptis momento sanata est.

Quid quod etiam Indo cuidam, vltro ac minime rogatus, oculos reddidit: Huius nomen Chambaratecura; occupatio quæstura Sanctæ Crucis quod est in oppido Colluci templum. Componebat quandoque festorum ignium diuersa missilia ad diem S. Crucis festa lætitia peragendum, cum in aceruum tormentarij pulueris scintilla incidens flammam ex eo ingentem corripuit, qua & miserè deformatus, & excæcatus omnino est, egitque multos annos cæcus: conspiciendum se tamen inter somnos aliquando huic sistens B. Apostolus, quærir ecquid ipsi gratum accideret oculorum vsu recipere: is ne vitam quidem gratiorem respondit, sed enim qui posset id fieri, cum præter oculorum cauum, nihil sibi de oculis restaret: de hoc inquit Sanctus, ne labora, iubetque sexta inde leuca perduci se Cotatem curet, ad ipsius adem atque imaginem illie preces fundat, cœterum nihil prorsus ambigens oculos se impetraturum. Prima vix luce promissi audis in viam se dat, familiari gressum eius regente, omni que illo itinere Sanctum rogans, & omnia pollicens in beneficij gratiam, si cæcus eò adueniens, reuertetur oculatus. Ac fuit quidem haud ad eò subita impetratio spei datæ, nec primo stetit imaginis aditu, ad probationem, & meritum fidei nonum in diem differatur ægrotus, supplex, fiducia, & constantia plenus, fixusque non prius ab Sancti pedibus recedere, quàm esset promissi compos factus. Idque nono demum ex quo venerat die prolixè obtinuit, renatis momento intra suos orbes viuidis oculis, & quos amiserat nitore vincentibus. Cecinit ipsemet (erat enim poëta) versu patrio carmen, quo miraculum accepti muneris tota India vulgauit.

Cæcitate hac haud forte leuior alia, Ioannem Fonsecam Lusitanum ministrum regium detinebat: abductus à barbaris, & Cugneli conclusus alta rupe, vitam trahebat in tenebris, omni oculorum ablatu vsu nisi ad lugendam seruitutem. At is Xauerium cum additissimè coleret, instabat apud illum perpetuè, vt se ab hac vita tam calamitosa aut seruitute eriperet; futurum sibi tolerabilius vna morte absolui, quàm

pp 3 dito

47

Oculos effos-  
sos excor, red-  
dit.

49

Captiuum li-  
berat.